# EPIGRAMMATA
## Regiorum Medicinæ Professorum,
*Cantabrigiensis* atque *Oxoniensis*,

*Præsidentis*
*Et Sociorum Collegii celeberrimi*
*Medicorum Londinensium,*

*Aliorumque Doctorum juxtà atque doctissimorum virorum utriusq; Academiæ.*

In RADULPHI WINTERTONI
*Metaphrasin nuper editam.*

CLAUDIAN.

Gaudet enim virtus testes sibi jungere Musas:
Carmen amat, quisquis carmine digna gerit.

---

Quibus accedunt

## EPIGRAMMATA
## Therapeutica ejusdem,
Ad malevolorum lectorum ægritudines.

---

*CANTABRIGIÆ*
Excudebant THOMAS BUCK &
ROGERUS DANIEL.
MDCXXXIII.

C4483

AD

RADULPHUM WINTERTONUM,

*Collegii Regalis Cantabrigienſis*

*Socium, Medicinæ Licentiatum.*

NOn *Toga*, *Pileolúsve*, nec *Oſculæ*, *Daëtyliúsve*,
Verè *Doctorem* néve *Cathedra* facit:
*Doctoris* quamvis hæc ſint *inſignia* facti.
His ſine, *Doctorem* te facit iſte *Liber*.

*In Hippocratis Aphoriſmos.*

Audit à Græcis, urbs, *Hellados Hellas*, Athenæ:
Audit *Hippocrates*, hic liber, *Hippocratis*.

JOANNES COLLINS, *Cantabrigienſis*,
*Collegii Divi Joannis quondam Socius*,
*Medicinæ Doctor, & Profeſſor Regius.*

---

## *Ad eundem.*

TE *Medicum*, *Doctum*, *Græcúmque*, hæc verſio monſtrat;
Hippocratem callens, hæc tria certus habes.
Et, tantas dum fundis opes, Benefactor haberis,
Hippocratem illuſtrans: Publicus ille Pater.

Tu merito *Phœbi* dicitus *filius* alumi,
*Phœbi artem medicam* qui ſopis atque *lyram*.

THOMAS CLAYTON, *Oxonienſis*,
*Coll. Pembr. Magiſter, Medicinæ*
*Doctor, & Profeſſor Regius.*

---

ARdua ſuccinctè paradis *Theoremata* metris
Lucidibus Hippocratis Lux tua puncta micat.

* *Aphoriſmos.*

JOANNES ARGENT, *Cantabrigienſis, Petrenſis, Medicinæ Doctor, & Coll. Med. Lond. Præſident.*

---

AUt *prodeſſe volunt, aut delectare, Poëtæ*:
Et *juvat* & *prodeſt* docta Camœna tua.
Sic tua *metra* ſonant, *numeris* ſic perficis *Artem*,
Ut, quæ *longa* fuit, ſit *brevis* arte tua.

MATTHÆUS LISTER, *Oxonienſis,*
*Regiarum Majeſtatum Medicus*
*Ordinarius, Medicinæ Doctor,*
*& Coll. Med. Lond. Socius.*

---

Ὅτ᾽ τέχνην μίαν εἶν, ἢ ἀμύμων πάντ᾽, Ἀρεσμὲς
Ἱπποκράτες πρῶ᾽ ἀφ᾽ ἓν ἔχειν λέγων·
Οὐκ τοῦτο, βραχέως μέτροισιν ἀείδεις,
Προσκλήσας Μοῦσαν Παιήονίην τε

Ἔρχον

Ἔργον ἀπαιτοῦσιν χαλεπὸν καὶ χρησιν ἀκριβῆ
Τοῦτο σοφίσματος καὶ πολλὰ μογοῦντος ἔχει.

PHILEMON HOLLAND, *Cantabrig. Coll. Trin. quondam Socius, Medicinæ Doctor.*

---

WIntertone, diris epulis guſtimus. At nudi,
Parcus es: haud ſatis eſt menſulis; pone novas.

Altera pars mundi *proſam* cupit, altera *verſum*:
Hæc quod utramque aurem mulcent autor habet.

EDVARDUS LAPWORTH, *Oxon. è Coll. Magd. Medicinæ Doctor.*

---

ESt *brevis* Hippocrates: *Brevinrem* carmine reddis,
*Perſpicuamque* ſimul. *Laurea* jure tua eſt.

GUILIELMUS CLEMENT, *Cantabr. è Coll. Trin. Medicinæ Doctor, & Coll. Med. Lond. Socius.*

---

## *Ad* R.W. *Cenſura operis.*

NEc tibi quòd Græci, nec quòd ſis carminis hujus
Autor, (& ambiguum eſt hucine hic ſis major an illi)
Sit tanti, ut non ſit pluris ſervaſſe *Magiſtro*
Incolumes ſenſus; & quanquam lege ſolutum

Non temnâſſe vias, alióve in tramite currus
Deflexiſſe tuos, quàm quà vetus orbita ducit.
Hæque fide, & cura hæc, hîc relligione juvandi,
*Winterrone*, plices; meritus vel judice Coo
Hoc ſoli licuiſſe tibi, Præcepta medendi
In numeros aptâſſe, & ad artis ſigna ſeveræ
Difficiles Muſas raptúmque Helicona vocâſſe.
Ergò pari poſthac ſtudio tua ſcripta legentur:
Nec quæret quo dante ſitim ſedavit eodem
Fonte bibens, & cui res, non perſona, probatur.
Hactenùs ornatu exiguo, tantúmque virili,
Deſpexit *Medicina* chorum, reſponſáque vatis
*Proſa* dedit, nullóque inceſſit *Lirera* faſtu:
Et tamen hôs olim mirata eſt Græcia cultus.
Nunc dulces modulî, lentóque in dogmate luſus,
Et lepor, & volucri ſalientes pectine chordæ
Reſtituent laſſum, aut pleno faſtidia ſolvent
Lectori; atque humiles attollet tibia cantus.
Interea dum non ſublato pondere rerum
Verba novas, vatémque alio deducis amictu,
Nec tumet aggeſtis, nec hiat ſententia demptis
Luminibus. FRUERE hac qua vincis laude, Tuliſti
Hoc pretium curæ, tua ſcripta ut vindicet omnis
Poſteritas; cui ſiquid certum ſpondeat unus,
GRATA erit ab quacunque venit facundia lima.

SIMEON FOX, *Cantabrigienſis, Coll. Regal. quondam Socius, Medicinæ Doctor, & Coll. Med. Lond. Socius.*

---

## *Ad eundem.*

VErſibus Hippocratem? Phœbum bene jungis
Pæonias artes Aoniáſq; colens. (utrumque,

Hippocratem exponis verſu *longóque brevíque*:
Scilicet *Ars longa eſt*, *Vita* ſed ipſa *brevis*.

De patria litem doctè componis Homeri:
Falluntur reliqui; *Coüs*, Homerus erat.

RICHARDUS ANDREWES, *Oxon. Joannenſis, Medicinæ Doctor, & Coll. Med. Lond. Socius.*

---

*Wintertone*, Tuos laudóque probóque labores:
Si, *Mome*, invideas, Invidia pereas.

JOANNES FURTHO, *Cantabr. Coll. Trin. quondam Socius, Med. Doctor Anno* 1606.

---

MActe, inter Medicos ſis *Wintertone*; parando
Cortinam Phœbo, plenus es ipſe Deo.

JOANNES BAINBRIDGE, *Oxon. Mertonenſis, Med. Doctor, & Aſtronom. Profeſſor.*

---

Ἱπποκράτης ἐξ Ἱπποκράτεος, πηοῦ ἀμοιβὸς ὄφρις
Ἐκ τέφρας Βίον ἀν Φοῖβος ἔδωκε πατρί·
Ἱπποκράτει νεκρῷ ᾧ βίον σύ, ἰητρὲ, ἰωτρὲ.
Ὁ θεὸς πεφ ᾧ νῦν πόδας ἀλλεῖ ἔχων.

THOMAS CAUDREY, *Cantabr. è Coll. Chriſt. Medicinæ Doctor* 1611.

QUem nil majestas artis, nihil allicit ordo;
Ut legat Hippocratem; quem nil prudentia, rerum
Pondus, consilium, morbum mortémque retardans.
Nil *Medicina* movet, Tua Græca poëmata saltem
*Wintertone*, trahant. CUM carmine nausea rara est.
*Utilis* Hippocrates, sed non sine carmine *Dulcis*:
Posthac *Hippocratis* qui volvit *opuscula*, dicat
*Wintertoni opera* hæc, quòd miscuit *Utile Dulci*.
Hippocratis nomen, manes, cinis, urna, libelli,
Et medici voce una agimus pro carmine grates.

EDMUNDUS WILSON, *Cantabr. Coll. Regal. quondam Socius, Med. Doctor 1613. & Coll. Med. Lond. Socius.*

---

ÆSopum Sapiens divino *carmine* Musis,
*Hippocratem* jungis tu *numeris*que tuis.
*Phryx* erat ut *numeris* clarus, sic *carmine* major:
Major erit *numeris Hippocratéis*que tuis.

OTTUELLUS MEVERELL, *Cantabr. è Coll. Christ. Medicinæ Doctor 1616. & Coll. Med. Lond. Socius.*

---

ARs *longa* est; fecêre *brevem* tua carmina: *Vita*
Sed *brevis* est; *Longam* reddet Apollo tuus.

THOMAS CADEMAN, *Cantabr. è Coll. Trin. Medic. Doctor, & Reginæ Med. Particularis.*

Hippocra-

HIppocrates olim *Medicus*, nunc jure *Poëta* eſt:
Nam *Metrico* & *Medico* eſt unus Apollo pater.
Ars *Metrica* Ars *Medica* eſt: Præſtat nos utraq; ſanos;
*Corporis* hæc, *Animi* ſed medicina Metrum:
Dumque alii *Hippocratis* veteri ſanantur ab Arte,
Ipſe ſit Arte nova ſanior *Hippocrates*.

RICHARDUS SPICER, *Oxon. Med. Doctor, & Coll. Med. Lond. Socius.*

---

DElius indulget vati, calamumque labantem (*nec*
Suſtinet *Hippocratis genius*, plaudúntq; *Camœnæ*)
Jam *coi* ſi fortè ſenis quis dicta recenſet,
*Sic canit Hippocrates*, dicet; referéntque nepotes.

FRANCISCUS PRUJEAN, *Cantabr. Caio-Gunv. Med. Doctor* 1625. *& Coll. Med. Lond. Socius.*

---

SUavia dum reddis *Medici** Theoremata *magni*,
Dum verſu renovas tempora priſca ſenis;
Nec *nova*, nec *diverſa* doces præcepta medendi:
Aut *idem*, aut verè es *filius* Hippocratis.

* *Synecphoneſis.*

DANIEL OXENBRIDGE, *Oxon. ex Æd. Chr. Med. Doctor & Coll. Med. Lond. Socius.*

---

QUas grates, *Radulphe*, tibi culta Anglia ſolvet,
Per te quòd ſpiret maximus *Hippocrates*!
Edictis veterum lucem attulit ille: Sed illi
Et decus & vitam reddis ab ingenio.

Ionio

Ionio contenta ſono ſcita illa jacebant:
Illis concinnos reddis ab arte pedes;
Aures ut ferant Graio tranſemiſſa lepore
Gratius, & ſubeant promptius illa animum.
Grata igitur recolent tua carmina mente nepotes,
Arti qui præbes lumen Apollineæ.

ALEXANDER REID, *Oxon. Mertonenſis, Med. Doctor, & Coll. Med. Lond. Socius.*

---

OMne tulit punctum, qui miſcuit *Utile Dulci*:
Primatus *Hippocrates Utile* Coïs habet.
*Wintertone*, tibi debemus *Dulce*: Sed ultra
Quod docet Hippocrates *Utile* Coïs habes.

SAMUEL RAND, *Cantabr. è Coll. Chriſt. Med. Doctor, & Coll. Med. Lond. Socius.*

---

STringitur Hippocrate Hippocrates: Et Apollinis
*Vita* tibi trahitur *longa*, ſit *Arsq́*; *brevis*. (arte

JOANNES SPEED, *Oxon. Joannenſis, Med. Doctor.*

---

QUi ſalebroſa prius *Muſis* & *Apolline* dextro
Dicta ſenis faciles compulit in numeros,
Se *Medicum* & *Vatem* præſtat. Cur ergò negata
*Cocoina* ſint humeris, *laurea* temporibus?

RICHARDUS HAWLEY, *Oxon. Merton. Med. Doctor, & Coll. Med. Lond. Socius.*

*Muſica*

MUſica qui *Medicis* miſces, ſimul *Utile Dulci*.
Junctri juvant: Cithara curat Apollo canens.
Inſtar apis mel flore tuo tu quærere perge:
Carmina Muſa canens mellea, dulce ſonat.
Macte, & melliſluos Medicinæ fundito rivos;
Potent & Medici Fons patet Hippocratis.

EDVARDUS ALSTON, *Cantabr. Joann. Med. Doctor* 1626, *& Coll Med Lond. Socius.*

---

ARte ſenex medica Princeps, nullique ſecundus,
Nullo delendum tempore ſcripſit opus.
Ille artem longam fecit ſermone ſoluto:
Artem tu longam corripis arte tua.

ROBERTUS FRESTON, *Cantabr. è Coll. Emman. Med. Doctor* 1628.

---

AUſus es immenſum facinus, Vincire ſolutis
Quæ dedit *Hippocrates* non temeranda libris:
Jamque ope, *Wintertone*, tua tenebroſa loquutus
Naturæ vates, non ſine luce canit.

JOANNES NICOLS, *Cantabr. è Coll. Corp. Chriſt. Med. Doctor* 1630.

---

CUi non *metra* placent *Medicorum*, *ægroret* & idem;
Et *lacrymet*, cui non *Muſica metra* placent.

TIMOTH. THOROLD, *Cantabr. Reginal. Medicinæ Doctor* 1630.

*Ad*

## Ad R. W. Παρηγορικόν.

O Carminum miram vim! Erigere qui in *pedes*
Senes est solitus, jam senior *Hippocrates*
Tandem tripudiantes erigitur in *pedes*.
O qui curâsti Medicorum vel Principem!
O qui docuisti Medicos hujus seculi
Certum ut medicaminibus suis ponant modum!
O acriores qui potus Hippocratis
Sic dulcoras placente melle post dato!
Macte age. Negent malevoli tibi suum PLACET:
Justior at acclamabit orbis, PERPLACET.
Macte, & quod fecisti hactenus perge facere,
Qui tibi malè volunt malefacta ut noscant sua.
Vale. Quin factus è *Medico Patiens* diu
Hoc *Cordiale* tuo ab Ailmero, oro, RECIPE.

*Quid corpus sine pedibus?*

*Coë*, Tibi *corpus* debet *Medicina* parenti:
*Wintertone*, Tibi debet at illa *pedes*.

SAMUEL AILMER, *Cantabr. è Coll. Jesu, Med. Doctor* 1631.

---

ARte senex Medica Phœbum sic *Coüs* adæquat,
Tantùm ut sit numeris carminibusq; minor:
Illius indignans dum volvit scripta *Radulphus*,
Cogit ad invitos verba soluta modos.
*Hippocrates* gemina par quòd sit Apollinis arte,
Hoc *Wintertonus* par utriusque facit.

HUNTINGDONUS PLUMPTRE, *Cant. Joannensis, Med. Doctor* 1631.

Quid

QUid metuis, maleſane, truces mala nomina mor-
En! Domitor mortis jura dat *Hippocrates*; (bos?
Morborum genus omne potens lenire dolores:
Cujus ad imperium trux *Libitina* fugit.
Qui vivus potuit morbos mortemque fugare,
(*En!*) Redivivus adeſt, & meditatur opem.
Quæris *Apollo* novus, vel quis tibi tanta *Machaon*
Præſtiterit Medicus? Quem legis, ipſus erat:
*Wintertonus* erat noſtris celebratus Athenis,
Qui ſapit *Hippocrates* quicquid & *Hellas* habet.
Eia ô *Hippocratis* ſolitus jactare Aphoriſmos,
Nunc *Wintertoni* Muſa canenda tibi.

SAMUEL ABBOT, *Med. Doctor.*

---

HIppocratis ſermoni nil niſi *carmina* deſunt.
Quàm bene tu *numeras* debita & Hippocratis!

GUILIELMUS GODDARD,
*Medicinæ Doctor.*

---

*Hippocratem* magni modulantem carmen *Homeri*
Cernere quiſquis amat, conſulat iſtud opus.

GUILIELMUS PRUJEAN, *Cant.*
*Caio-Gunv. Medicinæ Doctor.*

---

Ad

## Ad Chariſſimum meum

## RADULPHUM WINTERTONUM,

*Collegii Regalis Cantabrigienſis Socium, & juxta Statuta ibidem Profeſſioni Medicinæ deſignatum,*

*Jam olim ſummo Academicorum cum conſenſu ad exercendam utramque Medicinam licentiatum.*

DE malè promeritis bene te meruiſſe libello,
Veræ præclarum relligionis opus.
Qui tibi *civilem* conantur tollere vitam,
His *naturalem* tu renovare ſtudes.
Macte, * RADULPHE, tui virtute agnominis; hoc eſt,
*Conſilio* meritos immeritóſque *juva*.
Néve *Theonini* timeas à vulnere dentis,
Dum tua judicium ſanius acta probat.

* Radulphus, *Anglorum antiquâ Dialecto eſt* Conſilio juvans.

GUILIELMUS *de* INSULA, *ſive* L'ISLE, *Cantabrigienſis, Regal. Art. Magiſter An. Dom.* 1592, *Pro corpore Domini Regis Armiger.*

---

## *Ad eundem.*

CArminibus *Medea* potens herbiſque, juventam
Dicitur *Æmonio* reſtituiſſe *ſeni*:
Túque tuo *Hippocrati*, meliore ſed arte, juventam,
*Wintertone* herbis carminibúſque potens.

Herbis

Herbis illa *potens*, ſed & *impia*, carminibuſque:
Aut *pia* ſi conjux, at *ſcelerata* parens.
Túque *parens* herbis, ſed Phœbi, carminibuſque:
Ut *medicus* doctus, ſic quoque *vir* bonus es.

## *Ad Lectorem, de eodem.*

OMne tulit *punctum*, ſed Romæ (ut Horatius inquit)
*Utile* qui *Dulci* miſcuit arte ſua.
*Utile* qui *Dulci*, *Dulci* qui miſcet *Honeſtum*,
Non Cantabrigiæ hic omnia puncta ferat?

Edvardus Benlowes, *Cantabr.*
*Joanneuſis, Armiger.*

---

## *Ad* R. W. *de Metaphraſi metrica.*

CArminibus edere dum doces Hippocratem
Oracula ſua veriora Delphicis,
Ac digniora *Tripode* quem Coi ſui
Cepere: Et ipſe dignus es *Lyrâ* Apollinis.

Richardus Sterne, *Cantabr.*
*Coll. Corp. Chriſti Socius, Sacræ*
*Theol. Baccalaureus* 1625.

---

Ἄλγεα λυγρὰ δαμὰς καὶ δεινὰ πονήματ' ἀοιδῆ
Εἰ γε τὸ ἐπῳδὸν δεινότερον κρατέει.

Jo. Oliver, *Oxon. Coll. Magd. Socius,*
*Sacræ Theol. Baccalaureus.*

Eis

Εις τὸν βίβλον.

Ἀρμονικὸν ταύτην τῆς ἰατρὸς βίβλον ἀναγνὰς
Ἐξαρνήσοιτ' ἂν νόσον ἰᾶσθ' ἑπῆς;

Πρὸς τὸν βίβλον.

Ὅτῳ ἄμεμπτος ἔσει, διαφεύγεις Μῶμον ὀδόντας,
Οὐ φθόνον· ὁ φθονέων, ὅτῳ ἄμεμπτος ἔσει.

Πρὸς τὸν Μῶμον.

Τί ζῆν τὸν ζῆν φαίνει, εὖ ἔχειν σώματα τοῖς
Ἡ βίβλος. Ἀντιμάχῃ; Ἄξιος εἶ νοσέειν.

THOMAS BOSWEL *Cantabr. Aul. Pembr. Socius, A.M.* 1613.

---

*Hippocrati* meritos det *Juſtinianus* honores:
Dignior iſte *liber*, quàm fuit *ipſe*, premi.

JOSEPHUS THURSTON, *Cantabr. C.D.J. Socius, S.T.B.* 1627.

---

*Hippocrates* artem Medicinæ *idiomate* Græco
Deſcripſit primus; ſed ſine lege *metri*:
Gratum opus hoc Medicis. Tu primus *carmine* Græco
*Metiris*: Quanto gratius iſtud opus!

EDVARDUS HANBURIE, *Cantabr. Sidneian. Armiger*, JOANNIS HANBURIE, *Northampronienſis, Equitis Aurati filius unicus.*

*Ad*

## *Ad* R. W. *de 7. libris Græco carmine donatis.*

Hic *Chius ad Coïlm* eſt: Aphoriſmos corpore juſto
Cum *cane* quando Chio *ſenio* Cous habet:
Túque ſenis *Coi* numeris dum oracula reddis,
*Aonio* Phœbo *Pierioque* litas.

THOMAS FARNABIE, *Oxonienſis.*

---

## *Ad eundem.*

NOn hic Hippocrates (meritò mirabere) moles
Major; nec pondus, quàm fuit antè, minus.
Aurum erat, & nunc eſt. Aſt auro accepta rependens
Auro, quid præſtas? Plus valet, arte tua.

GUILIELMUS MOORE, *Cantabr. Coll. G. & C. Socius. Art. Mr.* 1613.

---

## *Ad eundem.*

UTile *Jucundo* Medicúſque Poëtáque miſces:
Miſce & *Honeſtum* ana. Quàm eſt hæc pretioſa doſis!

ROBERTUS GELL, *Cantabr. C. C. Socius. S. T. B.* 1628.

---

Πάσης πίπτοις ἰατρικῆς κρείττων νόσος·
Τῆσδ' ἐμάχου σοῖος δ' Ἱπποκράτης.

JO. EARLS, *Oxon. Coll. Mert. Socius.*

## Ad Lectorem.

HIppocrates ægros, defunctos ſuſcitat *Orpheus*:
Non *Soſander* erit quiſquis utrumque facit?

JOANNES JOHNSON, *Cantabr.*
*A. P. Socius, Art. Mr.* 1615.

---

## Ad Medico-Poëtam.

QUam tibi non poterat *Medicinæ* reddere *laurum*
*Antiſtes*, dabit hanc vel *Medicina* tibi.
Illam *tu* exornas *hedera*; *T*éque *illa* creare
Si non *Doctorem* ſit potis, at *Medicum*.

GUALTERUS FOSTER, *Cantabr.*
*C. E. Socius, S. T. B.* 1628.

---

ARs *longa* eſt: At tu numeris feliciter *arctas*.
Sic (*Licet*) autorem (*Mactè*) refelle tuum.

THOMAS COOKE, *Oxon.*
*C. Æn. Socius, Art. Mr.*

---

DUm facilem Hippocratem reddis ſuavemque legenti,
Debet quàm *Medicus* plus *Medicina* tibi.
Gratum opus *Ægrotis*, *Medicis* ſuavamobesv *Æger*
Vix erit; aut *Medicus* quilibet, ipſe ſibi.

MICHAEL HONYWOOD, *Cantabr.*
*C. C. Socius, Art. Mr.* 1618.

Hippocra-

HIppocrates *oculum* tibi commodat arte medendi:
Nonne *pedes* æquum mutuet ille tuos?
Tu prudens *oculo* tibi proſpicis atque ſaluti:
Incedit *pedibus* gratior ille tuis.

RICHARDUS CLERK, *Cantabr.*
*C. E. Socius, S. T. B.* 1631.

---

Πρὸς τὸν τυχόντα.

Ἔξω ὁ βίβλος βραχύς, ἡ τέχνη μακρή· Εὖ ἄρα
τούτῳ
Ὡδὲ μακροῖς ἔπεσιν καὶ βραχέσι μάθοις.

Πρὸς τὸν ἰατρόν.

Τοῦτό σε, ἰατρέ, διδάξει Ἀφορισμὸς καὶ ἀπὸ κώμης
Τοῦτο τύχῃς ἂν ἔχοις, εἰ ἄρα μέζον ἔχεις.

Πρὸς τὸν μεταφραστήν.

Ἰητροὶ σὸν ἄεθλον ἀείσεται, λίνην τε
Μουσοπόλος τέρψει σοῦ τὸ παραυτὸν ἔπος.
Ζῆς ἐν εἰς αἰῶν', Ὀυιντερπῶνε, μένησιν
Ἣν τέχνη Ἱπποκράτες, Μοῦσα τ' εἰ ξυλάλα.

EDVARDUS SILVESTER, *Oxon.*
*è Coll. Bal. Art. Magiſter.*

---

Πρὸς τὸν τυχόντα.

Σμικρὸν ἰητρεῖ φιλέεσι, μέτρον τε σοφίης
Ἐναδὲ μύσηται. Ἡνίδε μέτρον ἔχεις.

GUILIELMUS BLANKS, *Cantabr.*
*C. G. & C. Socius, Art. M.* 1618.

FIt *Medicus* Vates, utriuſque ad *Apollinis* artem: *Hippocrates* jam, quod *dixerat* antè, *canit*.

THOMAS ANSCELL, *Cantabr. C. Joſ. Socius. S. T. B.* 1631.

---

Δεῦρο χέρων ὦν μανθάνεις, Ἱπποκράτες;
Εὖγ'. Οὐκ ὄνειδος. Τοῦτ' ἐπαοιδὴ Σωκράτης.

THOMAS MASTER, *Oxon. Nov. Coll. Socius, Art. Magiſter.*

---

PHarmaca qui *verbis* Medicus dabat antè *ſolutis*,
Nunc eadem *ſtricto* dat numerata *pede*.
Quis novus acceſſit *vates*? quis dexter *Apollo*
Incubuit ſcriptis, *Coë* perite, tuis?
His *pedibus* mandis tu, *Wintertone*, medelas,
Ut noſcant alii quæ tua cura *pedum*.
At certè autoris dum *carmine* ſcripta repandis,
Qui ſunt *Hippocrates*, Ἱπποκράπτος erit.

* Suidas *commemorat quinque ejuſdem nominis, artis, & familiæ.*

THOMAS LOVERING, *Cantabr. Pembrochianus, Art. Mr.* 1619.

---

Οὗτος ὁς Ἱπποκράτες ἱερὸν νόον ἐμμελέα φράζει,
Ὡς φύσεως φράζει τὸν νόον Ἱπποκράτης.

HERBERTUS THORNDICK, *Cantabr. C. T. Socius, Art. Magiſter* 1622.

Ἰατεύ-

Ἰατρόμαντι φαρμάκων τ' ἐπῶν τ' ἄνακτ.
Ὅσον τὸν Ἔαρ χείματος ψυδρόνυμον.
Πειθὼ γὰ λόγιον ὠφελεῖς εἰ χρὴ πρίν
Πρόσηπεν ἔνθυς Μῶσα χρησιφῶν σέβας.

HENRICUS JACOBUS, *Oxon.*
*Mertonenſis.*

---

NOſcas, *Phœbe*, tuum, *Medicum* decet eſſe *Poetam*:
Nam *ſacer* hos *nexus*, nec violandus, habet.

LUCAS SKIPPON, *Cantabr.*
*D. P. Socius. Art. Mr.* 1621.

---

Ἱπποκράτὴν δήσας, κ' ἄνδρας λύσας ὀδυνάων,
Ἀμφοτέρῃ Φοίβε κλεῖδας ἔχειν δοκέεις.

JOANNES ALSOP, *Cantabr.*
*C. C. Socius, Art. Mr.* 1624.

---

IN *numeris* vires renuit Medicina tuere.
Ut *neget* hoc ætas priſtina, noſtra *probat*.

GUILIELMUS BARKER, *Oxon.*
*Nov. Coll. Socius. Art. Mr.*

NOn opus ut tingant sua pharmaca *melle*, medentes:
Ipsa fit in numeris *mel* Medicina tuis.

FRANCISCUS GLISSON, *Cantabr.*
*C. G. & C. Socius, Art. Mr. 1624.*
*Medicinæ Licentiatus.*

---

QUi negat, insanit, data *carmina* posse mederi.
Hæc legat insanus *carmina*, sanus erit.

BARNABAS OLEY, *Cantabr.*
*A. Clar. Socius, Art. Mr. 1625.*

---

PRincipium Hippocratis spiritus tua tota Poësis:
Ars est *Hexametrum*, vitaque *Pentametrum*.

JO. CARTER, *Oxon. Art. Mr. & Med. Bacc. ex Aul. Magd.*

---

Πίνετε ὦ μέλισσες, νέκτας ἀθρίζετε κυψέλας·
Ἰατρικὴ γὰρ κρίσιν ἔχει ὁ Ἱπποκράτης.

LIONELLUS GATFORD, *Cantabr.*
*C. Jes. Socius, Art. Mr. 1625.*

---

CArmine te magnum quis non fatetur *Homerum*?
Quis non *Subjecto* dixerit *Hippocratem*?
Te *Medicum* scimus: *Vatem* fateamur oportet,
Qui magni *Hippocratis* carmine pingis opus.

AARON GUERDAIN, *Cantabr.*
*C. Reginal. Socius, Art. Mr. 1627.*
*Medicinæ Licentiatus.*

HIppocratis *liber* eſt *liber*, ſic *vinctus*: Apollo
Séque tibi obſtrictum vinculo amoris habet.

RICHARDUS POWEL, *Oxon.*
*Art. Mr. & Coll. Æn.*

---

*Hippocrates* facilem Medicinæ reddidit artem:
Ipſe magis facilem reddis at *Hippocratem*.

THOMAS LANT, *Cantabr.*
*C. Jeſ. Socius, Art. Mr.* 1627.

---

*At Galenus opes.* Non amplius invidus addat,
*Qui vivit Medicè, vivit* & ille *miſer*.
GRATA *ſalus* ultro *veniet* mortalibus: Ipſi
Hippocrati *pedibus* jam licet *ire* tuis.

GUILIELMUS FLATHERS, *Cantabr.*
*C. Sidn. Socius, Art. Mr.* 1627.

---

Μῶν ὁ Κῶϊος πολλὰ πόνος; Ὦ τῆς δυσμαμίας τε μέγεθος.
Νῦν σκίρτα νέος ὢν, ὁ πρέσβυς γε γέρων.

*Hippocrates* ægris nil jam præſcribit amarum:
Melle *Camœnarum* pharmaca cuncta natant.

JOANNES BOOTH, *Cantabr.*
*C. C. C. Socius, Art. Mr* 1628.

SCire velis qualem *Hippocratem* tua carmina reddent?
Antè *ſalubris* erat; nunc quoque *dulcis* erit.

STEPHANUS BRIDGES, *Oxon. Med. Studioſ. C. C. C. Socius, Art. Mr.*

---

HÆc *Wintertonus*: Qui neſcit cætera, neſcit
Qui ſit *Butleras*, *Caius*, & *Hippocrates*.

Μνημοσύνη non dant *Aphoriſmi* pharmaca: *Verſus*,
Wintertone, *tui*, pharmaca Μνημοσύνη.

GUILIELMUS GREEN, *Cantabr. C. M. Socius, Art. Mr.* 1628.

---

IN *numeris* placuit modò qui fuit: Alter ab illo
Qui fuit, *Hippocrates* nunc placet *in numeris*.

GEORGIUS PEIRCE, *Cantabr. Coll. Regal. nuper Socius, Art. Mr.* 1629.

---

Ἰδμοσύνη γέρονας ποτ' ἀρήρη Φοῖβος Ἀπόλλων.
Τί ξένον; εἰ δνοφερὸς θάνατος καθικάνεται.

Ἐκτὶ κλεινὸς ἅπασι πέλεις ἀμαρύγμασι Φοίβου,
Οὐ μὲν ἐν ἀκαίνοις, αὐτὰρ ἐπιχθονίοις.
Οὐκοῦν, εἰ δνοπόσιν ἀνέδραμες ἄλλοθ' Ἀπόλλων,
Ἰητρῶν τελέθεις ἔξοχος ἐν καμάτῳ.

Ἰάκωβος ὁ Βλαστὸς, ὁ Κρὶς τὸ γένος.

Ἰητρῶν

Ἰητρῶν τε πατὴρ καὶ ἀοιδῶν ὅστις Ἀπόλλων
Καλῶς παιζεις ἀμφοτέρῃς μὲ τέχνῃς.

Ἀνθρώπους ζωὴ λείπει, καὶ γράμματα μνήμην·
Τέχνη δ' ἐν μακρῇ ὅστι, βίος δ' ὁ βραχύς.
Ἱπποκράτης δ' ἀπὸ πᾶσι τρέπεσκεν, ἀοιδὸς ὁ αὐτός·
Τῶν τε βραχεῖαν ἔδωκε ἅπασί γε, τὴν τε μακρόν.

SAMUEL HORNE, *Cantabr.*
*D. P. Socius, Art. Mr.* 1628.

---

CArmina conſtringunt artem; *Medicina* propagat
Vitam: ut nec longa ars ſit, neque vita brevis.

THOMAS HOLBECH, *Cantabr.*
*C. E. Socius, Art. Mr.* 1629.

---

Ἐμοὶ ῥος Ἱπποκράτης; φεῦ· τίς τέκεν; ἦ ῥα Ἀπόλλων;
Ὃς καὶ ἐμὲ ἰητρῶν Πηλείδην τε πατήρ.

Accepit *Medicus* vitam, *Sententia* lucem,
Menſuram *Brevitas*, & *Medicina* modum.

*Hippocrati*, Medico curante, renaſcitur ætas:
Et *Gnome* celeri jam pede currit anus.

Qui ligat *Hippocratem*, verſumque extorquet *Homê-*
An *Vatum* princeps audiet, an *Medicûm*? (ro.

JACOBUS DUPORT, *Cantabr.*
*C. T. Socius, Art. Mr.* 1630.

Τὰς

Τὰς Μούσας Διὶ Μνημοσύνη ποτὲ τέξατο Δίῳ
Ἱππαρέτει Μοῦσα Μνημοσύνῃ στέχον.

WIMONDUS CARAW, *Coll. Regal. nuper Socius, Art. Mr.* 1631.

---

PHarmaca das *Medicus*, nobis das carmina *Vates*:
Ut ſis *Phœbeo* dignus utrinque choro.

GUILIELMUS NORRIS, *Cantabr. Coll. Regal. nuper Socius, Art. Mr.* 1631. *Juventutis Etonenſis in Coll. Regal. Inſormatorum alter.*

---

QUi mellis cupit *Attici* medullam,
Quâ nil dulcius eſt, ſalubriuſve;
Hunc rectà moneo petat libellum.
Næ hic oracula continet ſalutis,
Quæ lector putet edidiſſe *Phœbum*
Communem *Melici* patrem & *Poetæ*.
Quiſquis ſis, ô *Medice* & *Poëta*, neſcis;
Et *Phœbi* decus utriuſque neſcit.

SAMUEL REMINGTON, *Cantabr. Sidneianus, Art. Mr.* 1631. *Medicinæ Studioſus.*

---

## *Ad* Podalirium *ſuum.*

CAvit *dextra* tua ut nè *pes* mihi *claudicet* alter:
Haud æquum eſt noſtrum claudicet *officium*.

Qua

Qui licet *arte* artem, celebrem niſi *carmine* carmen;
Integer ut *pes* ſit, *dextera* clauda mea eſt.

THOMAS FRITH, *Cantabr.*
*ex Aul. Trin. Art. Mr.* 1631.

---

Α Μειλιχ' ἑ ὠμιλησα νῦν ἔχεις Ἱπποκρατες·
Τεχνῃσι βεβιωκεῖαν ἀνηρ κ' μακρὸν βιον,
Πρὸς ταῦτα καλὰς ἐρρυθμισμένον μέλεα,
Εὖσω Ῥαδύελος, ἐναρίστρων ἐμαιπων
Δόξαν ποιήσας, κ' Ἀφορισμὲς σμ' ἐρίσας
Ἀεὶ μ' ἀξιομνημονέυτος, νυνὶ δ' ἐν.

RICHARDUS BULKELEY, *Cantabr.*
*C. D. ℔. Socius, Art. Mr,* 1632.

---

## *Ad Medico-Chirurgum ſuum.*

ESſe *decem* digitos tradit *Natura* Magiſtra:
*Ars* digitos tantùm tradidit eſſe *novem.*
Quem *Natura* dedit, digitorum hiud integer eſſet
Ille mihi numerus, ni foret *Artis* opus.
Quem tui ſervavit periturum *dextera* ſolers,
Accipe ſervato pro *digito* numeros.

JOANNES WELBY, *Cantabr.*
*è C. C. Art. Mr.* 1632.

---

## *Ad Medico-Poëtam, de libello, Nè Momum metuat.*

CArpſerit hunc ſi quis, pulchrè rem crede peta-
Non eſt te dignus, ni ſit & invidiâ. (ciam:

ROBERTUS POPY, *Cantabr.*
*è C. C. Art. Mr.* 1632.

AD
RADULPHUM WINTERTONUM,
*Collegii Regalis Cantabrigiensis Socium*
*Medicum à suis juxta Statuta designatum,*
*& ab Academicis frequenti in*
*Senatu Licentiatum,*

*Pientissimi Regis*
HENRICI SEXTI
*alumnorum*
EPIGRAMMATA
*Suffragatoria.*

*In editionem libri primi*
Anno 1631.

*Suffragatores* poteris contemnere: Macte;
Vel *Nemesi* invita noscet *Apollo* suum.

*In editionem septem librorum*
Anno 1632.

Ede tuos *septem* jam, *Wintertone*, libellos:
Ipse placet *numerus*. Quid *numeri* facient?
Hippocrati, qui serta nequit tibi, serta dedisti:
*Doctorem* Hippocrates non facit, at *Medicum*.
*Purpura* nobilior te ornat tua, *Musa* tuorum:
Nempe *Cathedralis* plaudit uterque tibi;
Et civem agnoscunt omnes *Pandionis* arces:
Impar cum meritis sit *domus una* tuis.

THOMAS ROWE, *Coll. Regal. Cantabr.*
*Socius, è Senioribus, Art. Mr.* 1619.

Commendat *gemmas* non maſſa, ſed inſita *virtus*:
Hic *multæ* in *paucis* inveniuntur *opes*.

*Pharmaca* ſunt Phœbo, Phœbo ſunt *carmina* curæ:
Hæc duo *perfectum* conſtituunt *Medicum*.
*Natus* erat *Medicus*, *factus* tamen arte *Poëta*:
Ut ſit *perfectus*, tu facis, *Hippocrates*.

DANIEL DENT, *C. R. C. Socius, è Senioribus, Sacræ Theologiæ Baccalaureus* 1628.

---

## *Ad Wintertonum, De ſanata* J. C. 1631.

*Turba* quod *Hippocratum*; quódque *Ars humana* Ferales ictus tu cerebrumque levas. (ſtupebat,
Servatam ancillam tibi debeo. Sed neque miror
*Pharmaca* poſſe illud, *Carmina* ſi fuerint.
*Unus* adhuc *morbus*; quem nec tua *Carmina* ſanent:
Et ſolam REGIS *Regius* orat opem.

BARNABAS BARLOW, *C. R. C. Socius, è Senioribus, S. T. B.* 1629.

---

Ἄνθρωπος σμικρὸς, μεγάλης συσήματος εἰκών·
Ἡ δὲ βίβλος σμικρή, Ἱπποκράτης μεγάλη.

## *Ad Momum.*

Qui *Medici* prodeſt, delectat & arte *Poëtæ*,
*Prodeat*. Obgannis, Mome? *Latere* nequit.

ANDREAS HARWARD, *C. R. C. Socius, è Senioribus, S. T. B.* 1630.

## *Ad* R. W. *Podalirium ſuum verè Medico-Poëtam.*

*Daius*que *Hippocrates*que, pedes tibi debet uterque
Integer hic *numeris, motibus* ille ſuis. (que:
*Hippocrates* geſtit te grata voce *Poëtam*;
Et geſtit *Daius* dicere te *Medicum*.

RICHARDUS DAY, *C. R C.*
*Socius, Art. Mr.* 1629.

---

## *Ad eundem.*

*Hippocrati* debet *Medicorum* quicquid ubique eſt:
*Wintertone*, tibi debet at *Hippocrates*.

Divinúm ô Medicum! Quos viſere non potes ipſe,
Ipſe ditis pedibus *mittis* ad hos *Medicum*.

## *Ad Lectorem.*

*Pharmaca* non proſunt, niſi ſint demiſſa per *Alvũ*:
*Faucibus* & *Stomacho* ſunt malè grata tamen.
*Carmina* ſed proſunt *Oculos* per, ſive per *Aures*:
*Auribus* aut *Oculis* nec malè grata tamen.
Si minùs illa placent, RECIPE hæc. Data *Carmina*
Apta tuis *Oculis*, *Auribus* apta tuis. (proſunt
*Dulcia* qui non vult, æquum eſt ut guſtet *amara*:
*Carmina* qui non vult, *Pharmaca* ſæpe bibat.

JOANNES SLOPER, *C. R. C.*
*Socius, Art. Mr.* 1631.

*Ad*

## *Ad* R. W. *In editionem libri primi,*

Anno 1631, *Protrepticon, ut reliquos ſex edat.*

VIncendus *numerus* tibi *Septenarius*: Ergò
*Sex* reliquos ſimili conditione ligi.

## *Ad Lectorem.*

QUis liber? *Hippocratis*, Phœbea veſte: Meretur
Purpuream Medicus qui dedit illud opus.

Si *liber* exibit, cur non ſimul exeat *autor*?
Quandoquidem *prælum* conſtat utrumque pati.

Poſtquam ſanari ſe *carmine* ſentiet ætas;
Spreta diu, in pretio fortè *poëſis* erit.

RICHARDUS WILLIAMS, *C. R. C.*
*Socius, Art. Mr.* 1631.

---

## *In Metaphraſin* Wintertonianam.

HÆc nè *verba volent*, (quando πτερόεντα feruntur
Omnia) *Phœbea* compede *vincta* jacent.

## *Ad* Metaphraſten, *de Aphoriſmorum libro.*

HIppocrates, Meus eſt liber hic; Meus, inquit *Homerus*
Quid mirum? Liber hic incipit eſſe tuus. (*rus*

Τῆς ψυχῆς ὀθνεῖοι ἠχοῦσι φθόγγοι ἐμοῖο,
Οὐκέτ' ἀλλοδαπὸς ἐπὸς· παῖδα γάρ ὄζιν ἔτι.

COLUMBUS WILLIAMSON, *C. R. C.*
*Socius, Art. Mr.* 1632.

Πεφ-

### Πρὸς τὸν μεταφραστήν.

Μνημοσύνη φίλη ἐστὶ βεβαιότης, Μάσιον ἀοιδαί·
Τοῦτ' ἔργον Μάσιος, μνημοσύνη τε φίλον.

### Πρὸς τὸν αὐτόν.

Ὁ γλυκὺς Ἱπποκράτης ἀλλ' ἐστὶν ὑγιεινός· ἔδωκα
Σοὶ δ' ὑγιεινὸν ὁμῶς, ἡ γλυκὺν εἶναι ἔπι.
Ἐκ δὲ δύο ἓξ ἄλλας, μηδ' ἀμφισβήτεε· πρώτη
Πάντα διερχομένη πᾶσιν ἀρέσκε βίβλος.

GUILIELMUS DAY, *C. R. C.*
*Socius, Art. Mr.* 1632.

---

*Ad eundem, In editionem libri primi,* Anno 1631. *Protrepticon.*

EXilit ante alios liber hic ſex fratribus orbus:
His quoque da numeros, ne gemat iſte, ſuos.

### Πρὸς τὸν τυχόντα, περὶ τῆς τῶν ἑπτὰ βιβλίων ἐκδόσεως.

Ἱπποκράτει ἰητρὸς ἀνὴρ ὠΐξε κελεύθους
Μουσῶν, ἰηρῷ γηραλέῳ γενέθλῃ.

### *Hippocratis Metamorphoſis.*

QUem *video? Hippocratẽ* Coüm? Non priſca Poëe-*Vidêre* Hippocratem ſecula; noſtra *vident*: (tam
Noſtra *vident*, & noſtra *probant*; nec noſtra *probabunt*
Sola: *probatura* & ſecla futura magis.

GEORGIUS HALL, *C. R. C.*
*Socius, Inceptor in Artibus.*

*Ad*

## *Ad Lectorem.*

*Corporis* affectus varios data *pharmaca* tollunt:
*Mentis* & affectus *carmina* lecta levant.
Sunt *Wintertoni* data carmina, pharmaca *Coi*.
Dic, Lector; Quis, te judice, major erit?

*Errat*, quiſquis ait fieri non poſſe *Poëtam*:
Qui mihi non credit, conſulat *Hippocratem*.

THOMAS GOUGE, *C. R. C.*
*Socius, Incept. in Art.*

---

## *Ad virum* honeſtum, *Medicum* doctum, *& Poëtam* ingenioſum, R. W.

Tria ſunt omnia.

*Laudabant* olim veteres, *Dulce*, *Utile*, *Honeſtum*:
Hæc *Tria* dicebant *omnia*. Tempus ERAT.
*Dulce* canis, præſcribis & *Utile*, vivis *Honeſtè*:
Debentur *tribus* his *omnia*. Tempus ERIT.

## *Ad Lectorem, de Hippocrate Wintertoniano.*

*Hippocratis* quid ſunt Aphoriſmi? *Oracula* certè:
Nam *Phœbi* didicit carmina more loqui.

THOMAS CROWCH, *C. R. C.*
*Socius, Incept. in Art.*

*Ad* R. W. *virum* doctum *& bene* moratum, *in primis* Philometrum,

## Hippocratis *Medici &* Cratippi *Philosophi, studiisque & vitæ genere, æmulum.*

*Hippocrates* morbos, & morbos arte *Cratippus*,
(Alter erat *Medicus*, sed *Sophus* alter erat)
Ille quidem *humores*, *mores* curavit at ille
Pharmaca uterque *ore* aut *aure* bibenda dedit.
Quem dicam dubito te; Wintertone: *Cratippum?*
*Hippocratem?* Neutrum dico, sed *Amphoterum*;
Amphoterũ, *Hippocratem* Medicúmq; Sophúmq; *Cratippum*:
Unus habes, alter quicquid & alter habet. (
Æmulus Hippocratis, *studio* es; *vitâ*que, Cratippi:
*Metra* placent *Medicis*, & sua metra *Sophis*.
Seu *tua metra* legam *scribentis*, Scripta, legenti;
Sive *bibenda* mihi sint *tua metra*: Placent.

### *Ad eundem.*

Quàm bene de *nobis* mereare, ô publica cura,
Quàm bene de *Medicis*, indicat istud opus.

GUILIELMUS SCLATER, *C. R. C. Socius, Inceptor in Art.*

---

*Ad* R. W. *multis nominibus mihi longè charissimum,*

## *Paraphrasis in Hemistich. Horatian.*

Nunc est bibendum ——

*Wintertone*, libet tecum potare *Salutem*:
Te Medico, *Hippocratis* pocula plena placent.

Nolo

Nolo *merum* Hippocratis ducens à nomine nomen,
*Melle* sed Hippocratis pharmaca mista tuo.
Qui potando optant, adimunt sibi sæpe *Salutem*:
*Metra* sed observent si tua, *Certa Salus*:

## *Ad eundem, Hippocratis magni Doctorem, in Arte Poëtica.*

Γηράσκω δ' αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος.
*Solon.*

GRæca elementa senem legimus didicisse *Catonẽ*:
*Hippocrates* didicit *carmina Græca* senex.
Græca elementa *senem* credo didicisse Poëtin
*Hippocratem* miror sed didicisse senem.
Quem non speremus fieri nunc posse poëtam?
Fac me *Discipulum*; Tu mihi *Doctor* eris.

## *Ad eundem.*

Χεὶρ χεῖρα νίπτει.

TE *Medicum* Hippocrates; Tu, Wintertone, *Poë-*
Fecisti Hippocratem Tú; Tuúsq; pares. (*tam*

Εἰς τὴν Ἱπποκράτους μετεμψύχωσιν,
ἤτοι Οὐιντερτώνου μετάφρασιν.

Οὐιντερτωνίζεμεναι δοκέει μοι ὁ Κῶος,
Ἢ φιλὸς Κῶος ἀνὴρ Ἱπποκρατίζεμεναι.

GRINDALLUS SHEAFE,
*C. R. C. Socius, A.B.*

## Ad R. W. Medico-Poëtam.

PHarmaca præscribis, scribis quoq; Carmina: utroq;
Nomine, Mæonio carmine digna facis.

## In Momum.

PHarmaca fastidit, fastidit Carmina Momus:
Id facit ægrotus Corpore, & hoc Animo.
Huic, credo, Stomachus non pura bile laborat:
Invidia nimia est æger & huic Animus.

HENRICUS EDMONDES,
C. R. C. Socius, A. B.

---

## In editionem priorem libri primi,

Anno 1631, & posteriorem hanc reliquorum accessione adauctam atq; ornatam.

EXivit primus; Bis tres latuêre libelli:
Sexque sequuturis Prodromus unus erat.
Exivit: Placuit. Redit, & sua gaudia narrat:
Adscisçit socios hinc sibi sex alios.

## In opusculum Medico-Poëticum.

ARte sua Hippocrates ornabat Apollinis artem:
Ornaturque ope nunc artis, Apollo, tua.

HENRICUS KENT, C. R. C.
Socius, A. B.

---

## ΑΙΝΙΓΜΑ.

ΠΟιητὴς ποιητέω, χωπὶς χωπτέω,
Τρεῖς ὁ μετὰ, τρισβυτέρα ὁ νίος.

Ad

## *Ad Lectorem.*

*Qui utrumvis rectè nôrit, ambos noverit.*

IN magnum *Hippocrates* Medicus vel verſus *Home-*
Vel *Wintertonus* verſus in *Hippocratem.* (*rum;*

Εἰς Ἱπποκράτ͂ον τὸν πάνυ, καὶ τὸν τ͂ὸ πάνυ.

Ὁ Γράψας ὀλίγας Ἀφορισμὲς, πολλὰ δίδαξε·
Τὸς δ' ὁ μετρῶν μέτρων πολλὰ διὰ βραχέων.

ROBERTUS NEWMAN,
*C. R. C. Socius, A. B.*

---

## *Ad* R. W. *de Hippocrate ſuo omnibus numeris abſoluto.*

FACTA putant *numeris* qui falſò corpora, verè
**Facta** putent *numeris* corpora *ſana* tuis.

## *Ad Lectorem.*

QUI *prodeſt* aliis, *prodit bene:* qui bene prodit,
*Optimè* & hic *vixit;* Si bene, *qui latuit.*

## Πρὸς τὸν ἀυτόν.

Ὄγιντερ πῶνον Μῶμαι, κύνες ὥς, ὑλέουσιν·
Ὃς δὲ, ἀνδρῶν ὥς, κέντρον ἀείσει ἔχων.

## *Ad Medico-Poëtam.*

*De libro primo reliquis, explorandæ viæ cauſâ, præmiſſo,* Anno 1631.

PRIMUS iter volui priùs explorare: viámque
Qui faceret reliquis hic tibi *Lector* erat.

## *De ſeptem libris recens in lucem editis.*

HOs *Septem* Græcos *Sapientes* dicere poſſim,
Quis mater, cerebri dia *Minerva* tui.

Τὰ βραχέα, ὀπιχνόπρά τε ἠ
χαεἐπεα.

——— Χάεις βαιοῖσιν ὀπιδεῖ.

ΟΣτέῳ ἐν Καρύς κεῖτ' Ἰλιάς, ἔργον Ὁμήρου·
Ἔργον δ' Ἱπποκράτος, ὀστέῳ ἐν Κεφνίε.

HENRICUS WHISTON,
*C. R. C. Socius, A. B.*

---

## *Ad* R. W. *Medico-Poëtam.*

Χάεις χάεν πίκτει.

IΗπεὸν γέννησ' Ἰητρός, ἀοιδὸς ἀοιδόν·
Πρῶτα σὲ Ἱπποκράτης, ἔιτα σὺ Ἱπποκράτεω.

## *Ad eundem, Dialectorum Græcarum callentiſſimum.*

HIppocrati *Ionio* notæ omnes nunc *Dialecti*,
*Attica*, *Communis*, *Dorica*, & *Æolica*:
Has tandem didicit, *Te*, Wintertone, *Magiſtro*.
*Diſcipulum* ô quantum talem habuiſſe decus!

Οὐκ

Οὐκ ἐν τῷ μεγάλῳ, τὸ ἓν· ἀλλ' ἐν τῷ ἑνὶ, τὸ μέγα.

Παῦρα, μέτρον πολλοῖσι· μέτρον, μικρὸν, μεγάλοισιν·
Ἐν μικρῷ δέ, τὸ ἓν· ἐν ᾧ πᾶν ἓν, τὸ μέγα.

THOMAS PAGE, *C. R. C. Socius, A. B.*

---

## *Ad dilectiſſimum ſuum* R. W.

*---Leve ſit, quod bene fertur onus.*

DEerat adhuc unum: Tantorũ exempla ſequutus,
Elogio ornaret Præſes ut iſta ſuo;
Et ſtimulos, in Apes, ponens Stimulator, acuto
Ignavum fucos pungeret enſe pecus.
Tu tamen interea ſolamen habeto laborum,
Cui Præſes Phœbus, Pierideſque novem.

JOANNES SCLATER, *C. R. C. quondam Socius, S. T. B.* 1613.

---

# *Carmen Amœbæum*
# INTER CANDIDUM *LECTOREM* ET CARMINUM GRÆCORUM *AUTOREM,*

*Quo oſtenditur, Non inanis gloriæ ſed juſtæ defenſionis causâ ad Doctores & Magiſtros utriuſque Academiæ appellatum.*

*L.* QUid ſibi tanta velint de te præconia, miror:
An tibi quærendi nominis ardor erat?
*A.* Candide, nullus erat quærendi nominis ardor:
Qua tamen arte licet, fama tuenda mihi.
*L.* Fama tuenda quidem. *A.* Vita mihi charior ipſa.
*L.* Quid te, quis ſtimulat? *A.* Neſcio quis, ſcio quid.
*L.* Quid? *A.* Quære ex aliis: Æquum me dicere non eſt.

*Imploro juſti judicis officium.*

Si bene quid merui, Miſerere indigna ferentis:
Si malè, Cur lucem carmina noſtra vident?
Utuhus cæcis latuiſſent illa tenebris,
Si morum vitiis vita notata foret.
Lector amice, mihi de me nil crede loquenti:
Crede fides quibus eſt ſemper habenda. Sat eſt.

EPI.

# EPIGRAMMATA THERAPEUTICA,

## Ad malevolorum lectorum ægritudines.

### *ARGUMENTUM*
### *Epigrammatum dictorum,*
### *Ad Lectorem benevolum.*

*Curati* ſeptem, *curandi* ſunt mihi ſeptem;
Illi *carminibus* * hi *medicaminibus*.
Bis duo tréſque etiam curati ſunt mihi *libri:*
Sunt mihi curandi bis duo tréſque *viri*.
*Zoilus* & *Momus*, *Servilius* & *Baſiliſcus*,
*Porcius* & *Bibulus*, Septimiúsque *Macer*.

* *Pentheminieris.*

### *Ad Lectores malevolos,*
### *Epigramma Therapeuticum*
### *Propotiſmaticum.*

NOn lædent *Stomachum* Therapeutica noſtra *bibentis:*
*Auribus* atque *oculis* ſunt magis apta *bibi*.

*Ad*

## *Ad Zoïlum* Odontalgicum.

Zoïle, cur quereris *dentes* tibi ſæpe *dolere*?
Non niſi culpa tua eſt. *Zoïle*, mitte queri,
Corrumpunt *dentes* quæ rodis *carmina*. Parce
*Dentibus* ergò tuis *carminibus*que meis.

## *Ad Zoïlum* Hypermetrum.

NUlla placere tibi clamas mea, Zoïle, *metra*:
Nulla placent? Certè, Zoïle, *Hypermeter* es.

## *Ad Zoïlum* Miſarithmum.

CUr *nullo* in *numero* numeri ſunt, *Zoïle*, noſtri?
In *nullo* tecum, *Zoïle*, ſum *numero*.
Nec ſum, nec cupio. Nihil eſt mihi, *Zoïle*, tecum
Commune. Eſt vetus hoc, Πάντα τὰ κοινὰ φίλων.

## *Ad Zoïlum*

## Τὸν φιλόδικον μᾶλλον ἢ φιλοδίκαιον, καὶ φιλάργυρον μᾶλλον ἢ φιλάρετον.

SI tibi nec *numeri* poſſint nec *metra* placere,
Es certè injuſtus: Juſtitiæ hi *Canones*.
Neglectis *numeris*, neglectis, Zoïle, *metris*
*Vi* facis id quod vis; Zoïle, *jure* nihil.
Sed nec *libra* placet, quamvis cœleſtis imago;
Nec quæ dat certo pondere *cuique ſuum*:
Una tamen tibi *libra* placet; nam vera fatebor:
Non in *ponderibus* libra, ſed in *numeris*.
Ergò placent *numeri*. Sed ſunt numeri *numerati*:
Hi *numeri* tecum, Zoïle, *pondus* habent.

*Ad*

## *Ad Zoïlum* Cacoſtomachum.

SEmper edis; tibi ſemper adeſt nova *Orexis* edenti:
Aut certè * *canis* eſt illa, vel illa * *bovis*.

* κυνορεξία. * βολιμία.

## *Ad Zoïlum* Ignavium,

### Τὸν φίλαργον μᾶλλον ἢ φιλέλληνα.

C*Arminibus quid opus Græcis*? Cur, quæſo, *Philargus*
Sive *Philargus* amas dicier, iſta rogas? (*Iellen*,
Otia ſola placent? Intelligo. Jure *Philargus*
Diceris. Agnoſco crimen *Homonymiæ*.

## *Ad Zoïlum* Philautum,

### Τὸν ἰδιώτην μᾶλλον ἢ πολιτικόν.

NEgligis & clamas, *Opus hoc commune*. Philaute:
Credo, *Philaute*. Tibi *propria* ſola placent.
*Impropriè* à multis, *propriè* tu nomen ab uno
Ducis: namque *tibi* conſulis, haud *aliis*.

## *Ad Momum* Heautontimorumenon.

MOme *modos*, dic quæſo, *meos* cur carpis iniquus?
Vis me, credo, *tuo* vivere, Mome, *modo*.
Hoc me poſſe nego. Dum *carpis*, *carperis* ipſe.
Mome, licet facias quod facis abſque *modo*.

## *Ad Momum* Deſpoticum.

CUr me *immorigerum* clamas *Ruriq*; & in *Aula*?
Non vivo, pudet (ah!) vivere, *more* tuo.

## *Ad Momum* Dacnometrum.

C*Armina* noſtra odiſti, & amas tua *Crimina*, Mome:
Crimina *deleto*, Carmina *ſcribe* tua.

Si:

Sic tu dediſces forſan *malè dicere*, Mome;
Dediſcas primùm tu *malè* ſi *facere:*
Carminaque incipies aliquando aliena *probare*;
Carmina docta aliis quando *probanda* facis.
*Carpere*, crede mihi, facile eſt tibi, carmina ſcripta:
Non carpenda, mihi *ſcribere* difficile eſt.

## *Ad Servilium* Andrapodum.

*Aſperitate* tuas clamas offendier aures,
Carmina ſcripta legens *liberiore* modo.
Qualia, *Servili*, vis carmina? Plena *Gnathone*?
Qualia túte ſoles edere, ſiqua facis?
Auribus *ipſe* licet pergas ſervire tuorum:
Haud *mihi*, Servili, tam licet eſſe pio.
Ulnius Hippocratis *juravi in verba Magiſtri*
Juravi nunquam velle placere tibi.

## *Ad Baſiliſcum* Cacophthalmum.

*Carmina* ſerpentes poſſunt ſopire malignos:
Nullo ſopitum *carmine* lumen habes.
Aſpicis; *Aſpectu* vitiantur carmina primo:
Aut nullus certè, aut tu *Baſiliſcus* eris.

## *Ad Porcium* Epicureum.

*Arida* nulla tuo non ſunt *ingrata* palato:
Arida *metra* vocas; *Humida* ſola placent.
*Humida* ſola placent, Epicuri de grege *Porci*?
Quàm verè à porci nomine nomen habes!

## *Ad Bibulum* Oenophilum.

NOn miror tibi nec *numeros* nec *metra* placere:
Immemor es *numeri*, dum bibis, atque *merri*.

## *Ad Macrum* Septimium.

ES *Macer* & ſemper *macer* es, mihi crede, futurus:
Nam *malè* quod rodis *non bene* digeritur.

*Zoilo*

## Zoïlo, Momo, Servilio, Basiliſco, Porcio, Bibulo, Macro,

### Τὸ ὑγιαίνειν.

[1]Zoilus & [2]*Momus*, [3]*Servilius* & [4] *Baſiliſcus*,
[5] *Porcius* & [6] *Bibulus*, Septimiúſque [7] *Macer*,
[1] *Dentibus* hic, [2] *lingua* hic, hic [3] *auribus*, hic & [4] *oculis*,
[5] *Gutture* hic, hic [6] *ſtomacho*, [7] *ſplene* laborat & hic:
[6] Hic macer *invidia* eſt; vomit [6] hic *convitia*; *bile*
[5] Hic habet impurum guttur, & [4] hic oculos.
[3] Hic habet offenſas *non unctis verſibus* aures;
[2] Hic *lingua*, ſemper *dentibus* [1] ille minax.

*Phœbe* pater, fer opem; ſiqua eſt medicabilis arte
Hebdomas hæc: oro, *Phœbe* pater, fer opem.

*Extrahat* [1] hic dentes, linguam *præmordeat* [2] ille,
*Obſtruat* [3] ille aures, *eruat* [4] ille oculos;
*Expuat* [5] ille ſuam bis tinctam ærugine bilem;
*Evomat* [6] ille ſuam, *purget* at [7] ille nigram.

Aut hac aut nulla eſt medicabilis hebdomas arte:
Si nullâ, Hoc reliquum eſt, *Naviget Anticyrat.*

---

---

*Ad*

## AD LECTOREM BENEVOLUM, Excusatio Metaphrasεως Poëticæ, A Tempore:

*Post acceptum nuntium luctuosissimum Anno 1631, De morte charissimi fratris mei* FRANCISCI WINTERTONI; *qui cùm Serenissimæ Reginæ Cameræ privatæ Generosorum etiam tum unus esset, impetratâ à Regia majestate veniâ, oblitus splendoris Aulici, in Castra transiit. Is pro patria mortuus, Custrinæ, in finibus Silesiæ, honorificè, & sicut militem decuit, sepultus est. Ego frater afflictissimus, desideratissimo fratri, cum meis Musis domi mœrens, hæc justa solvo.*

QUi mea cunque legis, Quo sint ea tempore quæræ
Condita: Quæsito tempore, tutus ero.

CUr mea sint alterna rogas si carmina, Lector:
Hæc cùm scribebam, flebile tempus erat.
Dum fortuna fuit, FUIT (ô utinam foret!) Eheu!
Non est (Me miserum!) frater & alter ego.
Hei mihi! Cur fratrem moribundum visere fratri
Non licuit? Procul (ah!) pro patria occubuit.
Me mea terra tenet: tegit hunc Silesia, terra
Invida, non unquam terra videnda mihi.
Me mare, me tellus; & me super omnia cœlum
A fratre: hæc corpus, dividit hoc animam.

Part

Pars animæ melior charo cum fratre receſſit:
Párſque meo abrumpi corpore viſa mihi.
Vivere vita fuit, fratres dum vivimùs unâ;
Hoc ſine, non vita eſt vivere; vita, mori.
Quid facerem? Incluſus magis & magis æſtuat intus,
Egeritur lacrymis carminibúſque dolor.
Sunt Elegi quæcunque legis mea carmina; verba
Singula ſunt lacrymæ, commata, tot gemitus.
His ego ſæpe meos ſoleo lenire dolores,
Dum Muſa ad numeros officioſa venit.

Quo magis excuſes mea carmina, triſtia, flentis:
Condita quo fuerint tempore, Lector, habes.

---

Δίστιχον εὐκτικόν, ἀποτακτικόν.

Quod reliquũ eſt: Opto proſit tibi, Lector, utrumq;;
*Pharmaca* ſive bibas, *Carmina* ſive legas.

RADULPHUS WINTERTON.

---

FINIS.

C 13518 X
23247

REPRODUCED FROM THE COPY IN THE

HENRY E. HUNTINGTON LIBRARY

FOR REFERENCE ONLY. NOT FOR REPRODUCTION